

151

149

155

145

160

140

200

100

250

050

Ende

Anfang

140

non minus, quam tria non parva milliaria allemannica; videbantur mihi esse quinque prae taedio viae. Igitur ergo Halliu in tumultum, sed dum vidisset mercatorum concertationem pro camelis, desperabat, quo nobis cameli possint inveniri, erat enim magna inter mercatores concertatio et quilibet volebat prior esse in receptione rerum et suarum bestiarum oneratione. Venit ergo Halliu, dicens, nos non posse hoc die habere bestias propter multiplicem onerum et mercatorum importunitatem. Quo auditio tristes effecti sumus, sed statim resumto animo expertiores de nobis timore deposito ad camelarios accesserunt loquentes eis de nostra in Alexandriam ductione et multos reperimus, qui parati erant nos ducere et magis voluntarii ad suscipiendum nos, quam saccos specierum, quia levioris eramus oneris et gravioris pretii. Plures ergo deserentes mercatores ad nos concurrerunt, propter quod mirabile disturbium ortum est novum inter mercatores et camelarios. Elegimus ergo ex omnibus quendam pauperem camelarium cum quinque camelis et conventione facta bestias oneravimus, cum autem jam pergere vellemus, accurrerunt negotiatores Sarraceni et cum magna furia res nostras de camelis rejecerunt, camelariumque et suos verberaverunt et ipsos camelos ad suarum mercium cumulos duxerunt et camelarium coegerunt mercium suspicere onera. Ceterum alias etiam camelarios, qui ad nos accesserant, ut convenirent nobiscum, a nobis percussionibus repulerunt et suas suspicere merces coegerunt et inter haec facta fuit tam saeva contentio, ut se invicem cultellis et pugionibus laedere conarentur. Et in his omnibus nos sedimus cum silentio et timore, nec manum movimus, ne fuorem suum in nos verterent. Vidimus tamen hoc litigio rem memoratu dignam. Duo juvenes simul (123 a) dure contendebant et in tantum se verbis provocabant, quod ad verbera inferenda sibi invicem se parabant, cumque congressionem facere vellent, ambo exemptis pugionibus, quibus accincti fuerant, eos longius a se projecerunt et ita sine ferro irruerunt in invicem, pugnis se percutientes et unguibus digitorum se lacerantes, usque quo ab invicem fuerunt detracti. Hoc nostris militibus videbatur puerile et muliebre, scilicet gladium a se removere in bello. Sed mihi visum fuit bellum virile et rationabile, in quo uterque locum habuit se vindicandi de injuria sine hominis extinctione et peremptione, ingentis enim sceleris crimen reputant occisionem hominis

